



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.DC.XXIX. Sancti Patris Benedicti. M.C.XLIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

ra de Kilkaldi, quam S. Renata Lotharingæ Principe, S. Petri Remensis Canonium, ut revera non tam illa præfese, quam ipsa Deipara videretur, cui Margarita ut primum electa est, solemniter resignaverat, plurimis inde Canonibus exempla solidioris disciplinae sumentibus, alijs inde Antistitis sibi postulantibus, uti hoc ipso anno Catharina Domina de Joyeuse ex Ducum ejusdem nominis familia ad Illustrissimū Mozomenſe Dioceseos Remensis Monasterium expedita, ejusdemque loci Abbatissa creata est, Virgo multarum parens fecunda virtutum, & zelo observantiae Regularis perinclita, insignis & Ordinis & serenissimæ familiarum ornamentum. *Ex Monumentis Canonij S. Petri Remensis, &c.*

Mirum proflus hoc ipso tempore & anno quot quantique eximia vitæ sanctitate Antistites ex Ordine nostro, & Abbates atque Monachi, diversissimis per Germaniam locis, ante sexcentos, octingentos & mille propemodum annos incinerati, insolentissimis prodigijs sese vivere ostendant, omnes in BENEDICTO Patre suo, tanto post, pro asserenda Ordinis renovatione & Gloria redivivi. Eos inter novus decoretur rursus in terris Triumphus, insigni Bavariæ, Austria, Styriæque gratulatione ad octavum & septimum Cal. Octobr. sanctissimis & meritissimis Salisburgensis Ecclesiæ Pontificibus Ruperto Magno Bavariæ, & Virgilio Carinthiæ Apostolis, nostri Ordinis absolutissimæ perfectionis Monachis, felicissimis eorumdem, Reliquijs solemnissima pompa in magna Principum & diversissimorum Præsulum frequentia solemnissimè elevatis & translatis. Cujus solemnissima pompæ descriptio, à Patribus nostris Benedictinis Universitatis Salisburgensis Professoribus typo vulgata, passim manibus teritur. *Vid. R. P. Thomas Weiss. in Dedic. Salisb.*

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XXIX.
Sancti Patris Benedicti. M. C. XLIX.

Iterum Mons Calvariæ, calvariam sacræ altaribus dignissimam tumulo ad tempus condit, animo ad cœli Empyreï gaudia raptis, donec communi resurrectionis die, corpus tot afflictionibus emeritissimum, mercedem quoque tot laborum accipiat, Marty-

rum choris inferendum. Fuit sanctissima Vitæ Virgo Margarita, ab Assumptione appellata, inter prima facti hujus instituti censenda sydera, sanctissimi illius Viri P. Josephi à Parisijs Capucini Spiritualis filia, ab illuminatissimo insigniter illuminata, & merito ab Assumptione dicta, cœlis ipsis desideratissima. Hæc post multos in Ordine nostro & rigidiore ejus Congregatione exantlatos labores gravi denique infirmitate correpta, cum vitæ sibi imminere finem facillè animadverteret, arcana prius conscientiae Venerabili P. Josepho supra dicto detegere ardentissimè cupiebat. Verum procul aberat præfatus Pater, utpote Provinciae suæ Visitator in obeundis longè latèque distitis Conventibus occupatissimus. Unde conquesta Venerabilis Margarita Angelo Custodi suo, confidentissimè ipsum exoravit, cum & ubi versaretur ipsa nesciret, nec esset alius quem mitteret, & ubi in itinere illum ostenderet, ut ipse in se Angelus id muneris suscipere, & ubicunque ille versaretur, absque mora ad ipsam properare juberet, ut tanto ad jutore & Consiliario sibi pernecessario, ad portum salutis secunda pertingeret. Res mira! Motu quamprimum mirabili, & vehementissimo quidem, adactum se vir sanctus pensavit. Moxque Pictavos iter flexit maturavitque, cum ramen nihil unquam ipsi de Urbe illa, in mentem venisset, imo multa alia occurrissent, quæ ipsum ab hoc consilio arcere debuissent, Unde & abijcere motum illum & impulsum conatus, utpote cui nihil Pictavis agendum, multa vero alibi, eademque maximi momenti negotia vocarent. Institit nihilominus ardentius & vehementius inspiratio, cui invitus obsequitur, vimque sibi cœlitus illatam cautatur, Pictavosque occurrens, cum de Calvariæ statu inquirat, Margaritam suam ab Assumptione de vita periclitari intelligens, quamprimum invisit, quæ incredibilibiter se exauditam lætata, Generalem Patri Josepho Confessionem, incredibili animi contritione, facit, cujus finis mors pacatissima exiit. *Amandus Tribut, &c.*

Rursus alij in terris sese cœlites Benedictini ceu Redivivos ostendunt & ad excitandos confirmandisque no-

H h

stro-

Margarita
ab Assump-
tione.

Opera An-
geli Custodi
suo mirè
narratur.

Confessari-
us ejus mi-
rè adesse
ipsi cogi-
tur.

Catharina
Principis de
Joyeuse.

Translatio
SS. Ruperti
& Virgily.

SS. Othmarus & Norkerus translati.

strorum pios ubique locorum, in resuscitando primævo Spiritu, conatus mortalibus immortales se ingerunt, atque admirandis prodigijs Helvetiæ, Sueviæ, vicinisque regionibus illucescunt, eximia Ordinis nostri sydera, Sancti Othmarus & Norkerus, Sangalenses olim Ascetæ, insigni etiam pompa, post tot sæculorum, ab eo quo decellere decursu, honorati & solemniter translati. Ut ipsi etiam cœlites, reflorescentibus primævo flore Cœnobijs applaudere, & denovo, suis in terra convivere velle viderentur. Cæterum, si virorum hoc ipso anno & tempore, cum perfectionis, tum eruditionis laude celeberrimum inire numerum cœnemur, verendum omnino, ne rem supra vires, imo ne immensum atque innumerabile aggrediamur: tantus ubique est, ut virorum doctissimorum & Religiosissimorum, oris confessio, & scriptis manu propria literis prædicatum audierimus & legerimus, quotquot in Lotharingia, Burgundia, & Francia, quotquot in Hispania, quotquot in Anglia, Scoria, Hibernia, viderint tot recentium Ordinis Reformationum Religiosos, non homines, sed incarnatos Angelos & vidisse & audisse. De Germania nostra extat præclarissimum, testis omni exceptione majoris, serenissimi Guilielmi Roariorū Ducis assertum, ad serenissimum fratrem Electorem Colonensem; quod eandem vertimus: *Meismet, inquit, vidi oculis, majorem Monasteriorum partem, & eorum præcipua, tam insingiter reformatam, & in statu tam bono, de quo quisque cordiculus gaudet. Et: Veniens ad Monasterium ejusmodi aliquod, videre mihi visus sum, verum antiquum zelum & pietatem, prout ea instituta erant, sine dubio, à principio, & prout de his in Veterum monumentis scriptum scimus, &c.* Ita, de reformationis nostræ rudibus tunc initijs tantus Princeps anno 1597. multo deinceps ferventius, latiusque invalescentis, & usque hodie, omnium bonorum oculos animosque rapientis. De Congregationum autem, SS. Vitoni, & Mauri in Gallijs, Burgundia, Lotharingia, &c. Monachis talia venerandæ memoriæ Vir P. Stephanus Vitus Societ. Jesu Presbyter magni nominis Theologus, scripsit pro exhortatione & consolatione superioris Germaniæ

Compendio status Monastii.

Ducis Electoris, T. P. Monium.

Angelici viri in Congreg. SS. Vitoni & Hydalphi.

Religiosorum, ut non possint à Religiosis majora expectari: dum ipse obstupuisse se faceretur talia videndo, & revera Angelorum Choris interfuisse, expertumque non hominum sed cœlestium civium charitatem, idem confitentibus omnibus, qui per ejusmodi Monasteria transferunt. Nec minor Candidorum Fratrum nostrorum per Hispanias maximè sanctitas, & hinc fructus exempli omni prædicatione potentior, in sacra familia nostra Cisterciensi, ut alia Regna & Provincias taceamus: è qua hoc ipso etiam anno & tempore occurreret magnus omnino numerus enumerandus, è quibus toti orbi cognitus Reverendissimus Dominus Angelus Manrique, post ingentia magni ingenij monumenta, & vitæ merita Magnus Calatravæ militiæ Prior designatus, nec multo post Pacensis Ecclesiæ constitutus Episcopus, Ludovicus Bernaldo de Queros, Spinæ Monachus, Generalis Congregationis Hispaniæ Reformator hoc anno octuaginta annorum senex in Domino quiescens: Dionysius Cucho, Franciscus de Riva de Neyra magna apud Philippum IV. Hispaniarum Regem auctoritate & plurimi alij.

IESU CHRISTI ANNUS. M. DC. XXX.
Sancti Patris Benedicti. M. C. L.

INCOMPARABILI SPLENDORE & fragrantia Rosam, cœlis hoc anno asserit, suismet dignando manibus Rex Regum terris ereptum; primo in ortu Hortis Empyreis mæturum, cœlitibus gratissimum. Is fuit Gabriel Nucalensis Cœnobij Novitius, dignè nomine suo, verè Mariangelus à teneris unguiculis Virginum, Virgini commendatissimus, Angelica morum elegantia, vitæ puritate verè Angelus. Ipsi, tam amici sibi nominis innocentulo, verè ut pia, ut propria mater albæ gallinæ filiolo, amantissimè Deipara consuluit, & raro sane nostri extremi sæculi exemplo, satis non habuit, si ante oculos solum suos haberet, nisi & ipsa tam dilectuli sui Gabrielis esset in oculis, neque tam nutu, quam disertâ & materna voce, quin & manus benedictæ ductu, quid faciendum ipsi benevolentissimè ostenderet. Visibiliter proin atque vigilantem apparuit, & ferventiore tunc, ad acuratorem Regulæ San-

Ven Gabriel et Nucalensis.

Ipsam Deipara ad Monasterium ducit.